N. C
RENZE
0 1 3
20

1013. 20

A

Legati D: Equitis Antonij Francisci de
Alarmis

II
1

AD ADRIANVM SEXTVM PONTIFICEM MAX. ORATIO PANEGYRICA, PER FRANCISCVM CAMPANVM COLLENSEM.

BIBL. NAZIONALE 1872
PVB. FLORENTINAE BIBLIOTHECAE
XXXVII. CAMP. Orat. ad Adrian. VI

AD IOANNEM RVFVM ARCHIEPISCOPVM CONSENTINVM maxime Reuerendũ: Franciſci Campani Collenſis Epiſtola.

PANEGYRICAM ORATIOnem illam, non pridem in aduẽtu Adriani ſexti Pont. max. per nos elucubratam, edere cum decreuerim: amicis quibuſdã iuuenibus, id a me familiariter poſtulantibus: dicare conſtitui tibi pater ampliſſime: tum quia, ea te libentiſſime auditurum, quę Beatitudinis ſuę laudes contineant non ignoro: quippe qui eas, ipſe ſoleas aliis potiſſimum prędicare: ſimul quia id, nonnullo amplitudinis tuę officio, facere debere, & immemor non ſum: & prę me feram ſemper. Vtinam autem qui legent (ſiquis tamen hęc quoq; ſiquis) ſcire poſſint in quãta negociorum turba, q̃ celeriter perfecta oratio fuerit: & celerius ꝑfecto, q̃ ſoleant, huiuſmodi laudationum (vt noſti) formas, elucubrati: quod tamen vereor ne ipſa nimium de ſe probet: illud'q; iure obiici & nobis poſſit: quod dixiſſe aliquando Apellem ferunt. hic enim pictori tabulam illi quãpiam oſtendenti: breuitatem'q; temporis, qua depicta fuiſſet, adiicienti: & ſi tacuiſſes inquit, hanc ſubito depictã eſſe intelligo: miror magis, cur non plures eiuſmodi depinxeris. Vtcũq; autem, ſi amplitudini tuę non ingratum, hoc non ingrati animi officium, fuiſſe intellexero: in quo vno maxime, ambitio noſtra nitit̃: nihil eſt quod de cętero, ingenioſorum iudicia, pertimeſcam. Vale, & me cõmendatum habe. Placentię Calendis Decembris. M.D.XXII.

ORATIO PANEGYRICA AD ADRIANVM SEXTVM PONT. MAX. PER FRANCISCVM CAMPANVM.

HEC ORATIONE COM plecti: nec animo aſſeq' queat, Adriane Sexte Pont. maxi. quot, q̃ ingentes'q;, Beatitudini tuę, ex optatiſſimo hoc ſuo in Italiã aduentu, (qui bonus fauſtus'q; ſit) ipſa primum Vrbs Romana, auguſtiſſimũ vicarii Chriſti domiciliũ; cuncta deinde Italia, gratias agat: quanto'q;, & q̃ vero gaudio, efferatur. Parietes, Beatiſſime Pater, ꝑfecto, (vt mihi videtur) & tecta, ſanctitati tuę gratias agere, geſtiũt. Oppidorũ autem, Vrbiũ, Gentium lętitiã, publice priuatim'q; quãta ſit: quis digne valeat explicare? cũ ipſam ciuitates & populi vix capere poſſint? Videt quidẽ Beatitudo tua, lętam atq; alacrem, cõcurrentiũ vndique mortalium, turbam: Quę in omniũ ore lętitia: Quę acclamationes: Quę inter ſe gratulantium voces: omnem deniq; ſexum: ętatẽ: ordinem cunctis lętitiis geſtiẽtem. Quota tamen lętitię pars eſt quę ad ſanctitatis tuę oculos, aures'q; ꝑuenit? intuere, quę cis alpes eſt, Galliam: Vmbriam: Hetruriã: Latiũ: reliquas denique Italię prouincias: omnes oppidatim geſtientes, videbis: publice, priuatim'q;, concœpta, pro feliciſſimo hoc aduentu, vota perſoluentes: non circa cuſtodias, vigilias, ſtationes atq; excubias, vt paulo ante: aut exhigẽda vehicula: aut cõ-

meatuũ faſtidia, occupatas: ſed Deo, laudes & gratias agẽtes: aras cunctas, donis & honore, cumulãtes: nullo demũ (vt amor & gaudium fert) hilaritatis genere, abſtinentes. Nec immerito quidem, populorũ paſtor ſanctiſſime: (cur enim non ſit hęc optimi max. pont. appellatio veriſſima?) cũ enim ſummo pont. carere, ipſi vrbi, ſed & cunctę Italię, abunde grauis, moleſta, miſera res, ſit: quanto in tanta rerum confuſione, perturbatione'ꝗ: atꝗ his temporibus grauius? in quibus (libet poetę verbis vti) Fas verſum, atꝗ nephas: tot bella per orbẽ: Tam multę ſcelerum facies: & quę ſequunť: reliqua enim nota ſunt: quibus'ꝗ multo magis q̃ vnq̃ antea, afflicta, vexata'ꝗ miſera Italia ſit: & maiore nunq̃ in periculo, fuerit. Sed quanto, non pontifice modo: & turbulẽtiſſimis potiſſimum, anguſtiſſimis, ſuſpicioſiſſimis, miſerrimis, difficillimis'ꝗ temporibus: in tãtis'ꝗ aſperitatibus rerum: ſed optimo illo quidem: & qualem nunq̃ voto nobis ſaltem concipere ſuccurrit, carere grauiſſimum eſt? iampridem enim anteq̃ in iſtam ſacroſanctã Simonis Petri ſedẽ, in qua, modo q̃ meritiſſimus ſedes, aſcendiſſes: fama, virtutũ, probitatis'ꝗ, Beatitudinis tuę, apud Italas gentes enituerat. falleris enim, inquam, falleris pater ſanctiſſime: niſi putas, de prudentia: labore: grauitate: conſtantia: humanitate: clemẽtia'ꝗ ſanctitatis tuę: nec obſcuro nec vario ſermone: ſed & clariſſima & vna omnium voce iampridẽ ad nos perlatũ: inſignis enim viri laus & gloria, qui pręſertim in altiſſimo dignitatis gradu locatus ſit: nullis finibus clauditur: nullius definitę regionis terminis, ſepta tenetur. Quo enim conſilio: qua animi magnitudine, res Hiſpanię turbatas, cõpoſueris: nutantes'ꝗ ac dubias ciuitates, in Cęſaris fide, atꝗ obſequio, retinueris: nemini noſtrũ incognitũ eſt. At qua iuſtitia? fide, æquabilitate'ꝗ, parui pariter & magni: pauperis ac diuitis: nobilis atꝗ igno

bilis:qua cura? qua animi lenitate? qua dexteritate'q: populos illos, paulo (ſi verum admictimus) difficiliores, moroſiores'q, gubernaueris? & quiſq exiſtimat, diu nos, tanta ſanctitate: tanta religione: pietate & prudentia: tāta auctoritate, dignitate'q pontifice, carere ęquo animo potuiſſe? aut miratur, tanta hoc tempore, & tam vera gaudii ſigna, nos oſtendere? Qui ad nos ſecum leges: ſecum magiſtratuū iura: ſecum apoſtolicę ſedis auctoritatē, libertatem'q: ſecum deorum atq hominum ſanctitatem: omnes ſecum religiones, attulit: vaſtitatem: cedem: incendia: rapinas: ſcelerum impunitatem: fugam: formidinem: diſcordiam, aduentu ſuo expulit, atq exterminauit. At ipſa profecto, Caroli imperatoris auguſti, ſumma de ſanctitate tua iudicia, vel teſtimonia potius, facile omnes intelligimus: tam quid de ea ipſe iudicarit, q̄ quid aliis pręſcripſerit: quę cum ſępe quidem & ante in illam: tum tamen, cū ex ipſis Hiſpaniis decederet maxime, enituerunt. Qui enim populis perſonam ſuam efflagitantibus, tuam dedit: qui ibi ſanctitatē tuam reliquit abſcedēs: vbi maieſtatem ſuam eſſe, maxime oportebat: quantum fidei: quantū virtuti: quantum integritati: quantum moderationi: quantū prudentię tuę, tribuendū cenſuerit: omnibus indicauit: hoc vno maxime ꝓſpiciens, ne ipſe deſyderaret: qui tantę tamen opinionis, omnes numeros impleueris: & in omnibus, tantę ſpei cumulatiſſime reſponderis. Sed, neque etiam poſteaq̄ deus te dedit, qui erga Chriſtianum gregem, vice ſua fungereris: tuę nos diuinę voces, ſeu potius oracula, latuerūt: multis enim a quibus in Hiſpaniam, ſtatim poſt diuinā felicem'q electionē ipſam, variis de cauſis ad ſanctitatem tuam eſſet aditū: aut dignitatis & honoris, aut officii & muneris aliquid, petentibus: tale ferme reſponſum dare, potiſſimum conſueueris non perſonis te: ſed officiis cōſulere velle. O, pręclariſſimā

& ſapientiſſimam vocem? O, conſilia [illegible] laude digna? O, bonorum omniũ ſpem? quomodo [illegible] officiis optime cõſulitur? ſi bonis viris, integris, atq; induſtriis, tribuunť: vnde honoribus.s.ius, maieſtas'q; adiiciať. ſic enim & geruntur cum dignitate: & cum integritate adminiſtrãtur: Et Pium autem pontificem, qui ſecundus eo nomine fuit, dicere ſolitum, accepimus: dignitatibus viros: non dignitates hominibus dandas eſſe. Sed non officiis ſolum: at Apoſtolicę ſedis maieſtati: at hominũ generi: at vniuerſo terrarum orbi, cõſulitur. premia enim (vt vere Cęcilius inquit) bonorum malorũ'q;: bonos ac malos faciunt. Quantũ bonorum prouentum, traditi optimo cuiq; honores, dignitates (ſic enim nũc loquunť) atq; officia, factura cenſendũ eſt? quod, hac ſanctiſſima voce tua, quaſi ſignũ, ad bene agendum, omnibus ſubſtuliſti? Sic autem euenire ꝑfecto mihi videť, quod diuinus Plato inquit: quales in rep. principes exiſtãt: tales reliquos ſolere eſſe ciues. Premiis enim quos, amãt potiſſimũ, afficiunt: amãt aũt ſui ſimiles: bonos igiť, premiis ac malos, prout ipſi aut boni, aut mali ſunt, vt reddant alios, neceſſe eſt. Quid quod vna atq; ea via eſt: qua cunctos nobis obnoxios reddere, vno tantum & eodẽ beneficio, valeamus? ſi bonis ſcilicet & merentibus tribuať: tritũ eſt enim, omniũ beneficiorũ, quę merentibus dantur, non ad ipſos gaudiũ magis: q̃ ad ſimiles redũdare. Quare, videor iam cernere, nõ fore ampliſſimos honores vulgandos: neq; eccleſiaſticarũ dignitatũ, & officiorũ, cuiuis, dũmodo homo ſit, imponẽda vocabula. Quod vero eſt omnium prędicatione digniſſimũ: ac de quo gratię quoq; habendę ſanctitati tuę ſint & verbis & re: multis quidem, locum in domo atq; aula tua, poſtulãtibus: quid aliud, q̃ pro meriti ęquitate cuiuſq;, locum illis capacem ꝑmictere, ſolitus es? Quem in domo igiť ſanctitatis tuę lenonibus: alca-

toribus, captatoribus'qꝫ? Quẽ ſcurris? Quẽ adulatoribus atqꝫ aſſentatoribus? Quẽ delatoribus & calũniatoribus? (ſunt quidam quos honeſte non poſſum nominare) locũ, fore putamus? nullum profecto, nullum: quia nullum in pontificia eſſe domo, conuenit: vtrum, ſanctitatem tuam, id genus hominum, auferent conſilia? vtrũ his ſacerdotia? prefecturas: honores: officia & dignitates offeres? omnia in ſinum horum congeres? vtrum per hos: aut ab his potius, hec id genus omnia petenda, atqꝫ impetranda erunt? nihil minus profecto, quantum auguror coniectura: adeo Beatitudo tua, id genus monſtra domi nõ alit: ſed ingeniis excellentibus delectatur: rectis'qꝫ ac viuidis animis: non vanis, & mendacibus quibuſdam: contentioſis: cõtrouerſis, ac litigatoribus: ambitioſis: fumiuendis (vt hoc verbo vtar) vnguentatis'qꝫ: vini, ſomni, ſtupri plenis: ſine ſenſu: ſine ſapore: quorum omnis induſtria vite, & vigilandi labor, in barba & capillo exprimitur: cuius quidem rei lectiſſima, atqꝫ ornatiſſima familia tua, omnibus inditio eſſe poteſt: de cuius integritate, probitate, dignitate'qꝫ, non eſt dicendi locus: ne prolixiorem q̃ propoſui orationem, faciam: atqui non temere vſurpatum vulgo eſt: & quaſi prouerbio dici ſolitum: facillime veriſſime'qꝫ, ex familia principes agnoſci: in qua prudentia, virtus: iudicium illorum & probitas, potiſſimum eluceſcit. vt non ſolum quo hominum genere conſtet: ſed quod diſcrimen atqꝫ ordo: vtrum qua quiſqꝫ dignitate, ac meritis preditus ſit, eum obtineat locum, conſyderemus. an vni ex omnibus: & cui potiſſimũ addicti, viuere videantur: quibus demum, ſumma rerum apud eos ſit fides: atqꝫ verborũ: bonos enim optimũ quéqꝫ legere, ſimile veri eſt: quandoquidẽ, ſua quéuis in alio natura, delectat: quod ſiquis malis vtitur: aut non bonus ipſe cenſendus eſt: aut parũ prudens: qui eos ne nouerit quidẽ:

qui inter manus atq; oculos, cõtinuo verſantur. Recte igitur facis Beatiſſime pater: qui adeo penſitate, adeo explorate, adeo cunctãter, quempiam, aut in familiam, aut ad officia, admictas: quin etiam & beneficia (vt ex more loquimur) elargiaris. omitto autem hoc ipſum quod elargiaris: pulchrum enim per ſe clarum'q; eſt: quandoquidem vendi ſępius q̃ elargiri ea omnia vidimus: illud vnum hoc tempore cõſyderandum, q̃ recte, q̃ rationabiliter omnia colloces. Quoties aũt, pecunias te libentius, q̃ cõſcientiam elargiturum, profeſſus es? ſanctiſſimũ certe ſapientiſſimum'q; conſilium: qui enim conſcientiam elargitur, deterior certe fit: qui accipit, nullo modo melior: pecunias vero ipſas interdum, male etiam merentibus atq; indignis collocare, ne vtiquam ab liberalis officio, alienũ eſt: poſſunt enim accipientem reddere meliorem: cum nihilo deteriorem elargiẽtem efficiãt. Sed ne per ſingula ſanctitatis tuę egregie dicta, pręclara'q; cõſilia, oratio mea tranſeat: (quarum iam rerũ, apertiſſima omnibus exempla, edidiſti) talẽ profecto eum decebat eſſe: quem non propria cupiditas, ſed aliena vtilitas, pontificem fecit: eum'q; qui nõ ſua, ſed apoſtolicę ſedis gratia, tantum onus ſubire, non recuſauit: non quęſitũ: ſed vltro oblatum: nobis fructuoſum: laborioſum ſibi: quod'q; ſubiturus ꝓfecto nõ erat: ſi recuſare, abſq; ingenti, manifeſto'q; apoſtolicę ſedis diſcrimine, (ita perculſa & proſtrata iacebant omnia) potuiſſet. Quę enim ad tantę fortunę nunciũ, acerrima diu, atq; attentiſſima cogitatio, reputãtis q̃ graue pontificis onus? beatum tamen, vt Pius, de quo paulo ante facta mentio a nobis eſt, dicere ſolebat, ei qui bene ferat: Quãta animi magnitudo ac robur? Quãta tam ſecundę fortunę tollerantia? Quam ſemper idem antiquę fortunę habitus? nihil ſuperbum profecto: nihil arrogans: nihil elatum: nihil ambitioſum vnq̃ aut vanũ: multi

multi vero Pater ſanctiſſime (ea eſt hominum natura) po
ſteaq̃ ad ſupremã dignitatem & poteſtatẽ prouecti ſunt:
finis'q; alienę perſonę ferẽdę venit: cum nihil ſcilicet videt
altius, quo quidem illis libeat aſcendere, vitam ſimul cum
moribus immutarunt: nõnullos licentia, deprauatos: alios
affluentia rerum omniũ, luxurioſos: multos ſumma rerum
poteſtas, ferociores impotẽtiores'q; pleroſq; adulatorum
copia, glorioſos, aut effecit: aut aperuit. Sed beatitudo tua:
ne priſcum quidem: & quod parẽtes ei dixere, nomen ab-
iecit: eadem pietas: eadem abſtinentia: eadẽ manſuetudo:
eadem temperãtia: eadem grauitas atq; facilitas: eadem ſe-
ueritas & comitas: iuſtitia atq; clemẽtia quę diſpari ſpecie,
prudentia coniunguntur: eadem inquam quia maiora eſſe
non poterant, quę ante fuerũt maxima: Qua enim huma-
nitate primum: qua beneuolentia plenę, in; Italiam ſancti-
tatis tuę, ſemel atq; iterũ, tranſmiſſę literę fuerunt? Quã-
tam lętitiam: quantum gaudium: quantum pręteritorum
malorum leuamen, hic aduẽtus eius, allaturus nobis eſſet:
iam tum diſcere atq; experiri cepimus: cum, in vnis litteris,
tantum leuamenti, tantum ſolatii inuenerimus: iam tum te
ſalubrem magis, q̃ ambitioſum, principem, agnoſcere.
Vix tamẽ Italiam claſſe appuliſti: vix ſanctitatis tuę pedes
oſculo contigimus: & ciſpadanus quidem eccleſiaſticę di-
tionis ager, hybernis & ſtatiuis militum, grauatus atq; op-
preſſus, iniuſtiſſimo atq; iniqſſimo onere, leuari cœptus
eſt: non vtilem ſolum, ſed neceſſariam, exhauſtis atq; exina
nitis rebus opem: & debitam fidei gratiam, laturus. Romę
cum ſuſpẽſa omnia, infida atq; infeſta eſſent: ac ne ad eam
quidẽ ſatis tutus acceſſus: pax: & fides, & ſecuritas parta.
quin etiam, cum non ipſa ſolum vrbs, imperii quondã do
micilium & glorię: nunc aũt chriſtianę religionis alumna:
ampliſſima'q; vicarii Chriſti ſedes: verũ auguſtiſſima illa

domus pontificis max. meretricum ſedes & domiciliũ: rerum'q; omniũ colluuio, facta eſſet: ſtatim quaſi atrii ſeptũ depurgata, atque emundata eſt: vt vel omnia (quę gremio ſanctiſſima illa tellus multa, cõplectit̃) beatorũ oſſa, ea re geſtire; & tãdem quieſcere videant̃. In Flãminia vero, quo cuncta iam ardebant, inteſtinus furor, ſtatim cõticuit: cunctis demũ, aliis Italię locis, nõ ſolum bella; ſed ſuſpitiones belli receſſerũt: Vrbes periculo: ciuitates metu liberatę: fumi quoq; ex agris & ignes, cum amici: tum hoſtiles, quaſi ventorum afflatu, trans alpes vſq; ſublati, euanuere. Dies me deficiat Pater ſanctiſſime: ſi cuncta beatitudinis tuę facta mirabilia, ac ꝑpe ſingularia, referre hoc loco voluero: pręſertim quod vereor: ne cui' maligno verborũ meorum interpreti, quẽquam prętieritorum pontificũ: (quo, nihil magis a ꝓncipio orationis meę cautum, videri poteſt) virtutũ. S. tuę cõmemoratione, incuſare velle videar: quare, & multa prętereo: ea'q; pręclara: & inuitus (vt ſic loquar) hac parte orationis moror. Verum enim vero, quẽadmodum quanta ſuperiorũ (vt male morata ferebant tẽpora) eſſe potuit, plurima multorũ virtus, fuit. Quis enim Iulio ſeuerior eccleſiaſticę libertatis aſſertor: acrior auctor imperii? Quis Leone ſanctior: mitior: humanior: liberalior? qui tñ in ipſo etiã curſu ambo ceciderũt: neq; ego tãtopere. S. tuã admiratiõe dignã, cenſerẽ: ſi Linorũ: Clementiũ: Silueſtrorũ tpibus extitiſſet: dum innocentiſſimi atq; abſtinẽtiſſimi ſacerdotes, romani pontifices fuere, quieti tantũ ac religioni dediti: vt hęc integritatis & innocẽtię laus, nõ hominũ modo: verũ & temporum illorũ eſſe videat̃: Quẽadmodũ inquam neminem equidem incuſo: (Deus enim mentẽ meliorẽ mihi) ita talẽ ꝑfecto, tantũ'q; eſſe oportuit: per quẽ, adeo perditis moribus, longa'q; ꝯſuetudine deprauatis atq; corruptis; tot tempoꝝ vitiis, ſuccurrẽdũ eſſet: tali

inquam cẽſore, correctore atq; emẽdatore, tempora'& mo-
res: tali gubernatore moderatore'q;, Petri nauis, potiſſimũ
indigebat: vt Deus ipſa optimus max. eccleſiam ſuam tan
dem aliquãdo reſpexiſſe facile cognoſci poſſit. Licet enim
oẽs pontifices ab ęterna eius maieſtate ſunt: in hac diuiniſ
ſima creatione tua, manifeſtiora eius rei ſigna, apparuerũt:
q̃ vt caſus, aut fortuna: aut fatum: aut hominis cuiuſpiam
opera, cẽſenda ſit: cum enim & illud viderimõ nihil poſſit,
non externum virum modo: verũ abſentẽ etiã & ignarũ,
in Ro. pontificem electũ. Cõſydera quęſo per deum, rerũ
ac temporum difficultatẽ: varietatem, atq; anguſtias: diuer
ſa hominũ ſtudia: illorũ operã qui humana diuina'q; pol-
licitationibus, precibus, auro'q; cuncta violarant, perturba
rant, euerterant: vix credibile iudicabis, q̃tumuis meritiſſi-
mum, ex omni illo ſacratiſſimo collegio, auditu modo co-
gnitũ: atq; adeo abſentẽ etiam: nec abſentẽ ſolum: ſed tot
terras tot maria diſtantem, vt vix ter in anno, audiri ab eo
nunciũ poſſet: ignarũ vrbis nec petentẽ: cunctis ſuffragiis
atq; omnium votis: tanto'q; cõſenſu: quanto haud quiſq̃
alius ante, vltro aut electũ eſſe: aut eligi potuiſſe. Dei opus
hoc: huius illa ſancta ſedes apoſtolica: ab ipſo quidem prę
ſente, abſens repertus & electus es: cuius in ſanctitatẽ tuam
iudicium atq; fauorem, tam quę pręceſſerunt, q̃ quę ſecuta
ſunt poſt, apertius indicarunt: & ipſa enim ad epiſcopatũ
primum aſſumptio ſua: mox in ſacrum cardinaliũ collegiũ
cooptatio, quid diuinum pręſeferre: excelſa atq; alta ꝓmi-
ctere, videbat: te enim nõ abſente ſolũ: ſed neſciẽte, ſingu-
la cõtigerunt: nihil minus aut cogitãte aut expectãte: vt qui
pręterita nouiſſet: iam tum quę ſecuta ſunt poſt, ſucceſſura
ꝓuideret. Quid mirum aũt neſciſſe te pont. maximũ fu-
turum: qui eſſe non quęrebas? non cupiebas? eras autẽ &
eſſe te neſciebas: q̃ rarum id? q̃ pręclarum? q̃ inuſitatum?

vbi ambitus? vbi pręhenſatio? vbi largitionis dulcedo? vbi preces? vbi, quę ꝑlixe fieri eo tempore, pollicitationes, ſolent? non horum temporū: non horum hominum ꝑfecto atq; morum, negociū. Hęc aūt magna: ſed potius maxima eſſe, facile omnes intelligere exiſtimo: ſed attende quęſo quę vere diuinam creationē ipſam ſint cōſecuta: quandoquidem Romanę (vt nūc loquuntur) ſtatus, eccleſię: quē miſerrimis, perditiſq; temporibus, poſt intempeſtiuū mitiſſimi vere patris, atq; optimi paſtoris, Decimi Leonis deceſſum: hoc grauiſſimo, & peſtilentiſſimo anno, conſiſtere vix poſſe, arbitrabant̄ omnes: (ita erant omnia debilitata, iam prope & extincta) in maxima hoſtiū poteſtate, quātam omnes fuiſſe nouimus: exhauſto, intollerandis longi huius belli impēdiis, ęrario: abſente pōtifice: multis quoq; quos minime decebat, ſuo quibuſq; ſtudio, vacantibus: neq; vnum quoq; addere verebor (ſtomacet̄ qui velit) in tanta militantiū deſidia: nō modo conſeruatus eſt: ſed etiā auctus. Quęret hic fortaſſe aliquis quomodo acta ſit res: celeriter igitur perſtringā: non ad hiſtoriā enim rerum: ſed gratiarū actionem tantū, mea ſpectat oratio. Cum ipſi hoſtes, qui iā victi fugatiq; fuiſſe videbātur: & reliqua omni Inſubria pulſi, ſe Cremonę tantum mœnibus tutarentur: poſt pontificis, iuxta certe optimi & maximi, periculoſiſſimo ſane tempore, Leonis obitum: qui tanti belli onera, atq; impendia, ſubſtineret infractos (id quod par erat accidere) animos ſubſtuliſſent: ſtatim (& ſi hyems erat eaq; gelida & niuoſa) reficere exercitū: omni conatu arma parare: vndiq; peditem, quibuſcunq; ex gentibus poſſent, cōtrahere: rati, aut ante noui pontificis electionem, non ſolum eccleſię ciuitates (Placentiā dico Parmāq;) occupaturos: ſed Inſubriā omnem recuperaturos ſe: noſtris militibus: vt qui in tantis ęrarii anguſtiis ſine ſtipēdio militarēt: ſine

imperio:ſine obſequio:ſine pudore ac metu: Segniter:otioſe:negligẽter:cõtumaciter, omnia agentibus: ſiue amicorũ & fautorum quempiam,in Romanũ pont. eligendum. In vtroq; aũt,ſpe ſua primũ fruſtrati ſunt:neq; enim(licet homines tum ad excogitandum:tum ad ea quę ſentiunt exequenda, veloces)ſeram creationẽ pontificis,pręuenerunt: &,quem minime omniũ ſperabant,ille potiſſimum electus eſt.Ecce enim,in medio tãti apparatus ardore:ſerius quidẽ q̃ oportuit:at omnino citius q̃ (vt tum ſtudia erant) aut voluiſſent:aut putarant: tu ipſe, Maxime Adriane, Pontifex publicatus es: vocem'q; illam tandem audiuimus, afflictę Italię:ſed & vniuerſo terrarũ orbi,(vt iam tunc certiſſimis & clariſſimis ſignis, prouideri potuit) ſalutarem. Quo nuntio accepto, Odettus de Foys: ad quem ſumma imperii reſpiciebat,inopinata re perculſus,diu quid ageret aut loqueret᷑ incertus,cum ſtetitiſſet:demum in hęc verba prorupiſſe dicit᷑:at ad annum ſaltẽ mortuus eſt: opinatus lucrifacere ſe abſentiam ſanctitatis tuę:nunc aũt maiore conatu res moliri:& nihil prętermictere, quod neceſſariũ videbatur:ab ipſis vero eccleſię ciuitatibus,initia ſumpſerũt, Parmę rebus fruſtra temptatis:interim conducta maxima Eluetiorum manu:bello'q; de integro comparato: adeo viribus aucti ſunt:vt iam formidoloſi omnibus eſſent facti: & non ſolum quę nouiſſime ammiſerãt, recuperaturi viderentur:verum in Neapolitanũ regnum trãſituros ſe, ilico iactarẽt.Quo quidem tempore, multi qui ad eam diem in eccleſię fide,amore'q; permanſerant: ſiue ſpe inducti: ſiue metu compulſi:ſeu magnis cõditionibus inuitati: ſiue mobilitate ac leuitate animi,nouis rebus ſtudẽtes:ad illos tranſiere.nõnulli vero Roma mouerunt:vt Hetrurię rebus nouatis:gallorũ exercitui ſe,in Inſubria iungerent: alii qui in eam diem quieuerãt:ne deſidere in tanta rerum & temporũ

occaſione viderent:pars Bononię res tentarūt:alii Arimi-
num inuaſerūt: occupato non pridem Vrbini ſtatu: idem
& circa Cornelii forum, actum, atq; Rauennam: a multis
demum partim oppugnatę, partim ꝑditę, partim derelictę
res eccleſię fuerunt:cum omnia ita per Italiā turbata eſſent:
omnia tumultu & trepidatione plena: tot in locis, eodem
tempore ſedes apoſtolica laboraret: & de ſumma imperii
ſui periclitaret:omnes tamen impiorum hominū cogita-
tiones(ne grauius quippiam dicam)atq; conatus:in irritū
ciciderunt:contuſi'q; atq; repreſſi ſunt. Galli vero interim
omnibus copiis, prope Mediolanum, hoſtiliter admotis,
primorum ducum cede conſternari, infecta re decedere co-
acti ſunt: Tycinū ſtatim inuadētes: vnde quoq; nō melio-
re fortuna, aut maiore gloria pulſi: de victoria diffidere, tū
primum viſi ſunt: ad vltimū, cum in certamen tandem ali-
quando deſcendere decreuiſſent: multis equitibus amiſſis:
aliquot etiam Eluetiorum peditum millibus: non inſtāti-
bus noſtris maiore infamia q̄ detrimēto fugiētes euaſerūt.
Quomodo aūt Laudę ciuitatē, quo ſe ex fuga cōtulerant,
ammiſerint: operępreciū audire eſt: cum enim pręſidio fir-
mata valido ciuitas eſſet: ante improuiſo noſtrorū aduen-
tu pene capta eſt: q̄ adeſſe illos, hoſtes ſatis ſcirent: & (vbi
haud parum iacturę fuit) quotquot intus inuēti, dearmati
equites: atq; impedimētis exuti: direpta ciuitas eſt: aliquot
inde verbis tantum confecta Pizleono (id, munitiſſimi in
tranſpadana regione oppidi, nomen eſt) per conditiones
tradito: & Cremonę ad pręſtitutam diem deditiōe pacta.
Genuam aūt mox, vno & eodem fere die obſeſſam: vi atq;
armis captam: atq; direptam: ipſa rei nouitas & admiratio,
ſatis omnibus, vt primo parum creditā: ita poſt notiſſimā
vndique rem fecit: quę cauſa fuit, vt q noui Gallorū equi-
tes pedites'q;, alpes tranſierant: Suſam'q; iam peruenerāt:

magnis itineribus retro,in Galliã vnde ꝓfecti erant,nulla
in Italia relicta amplius ſpe,redire cõpulſi ſint: cum nemo
iam,actum per eos pœnitus de toto bello eſſe, nõ videret:
Gallosq́ꝫ inuiſos huc iampridẽ deo,militaſſe:atqꝫ eũ eſſe
qui eccleſiã ſuam adiuuet: Quę tamen res,multis & nõ du
biis ĩmortalis Dei ſignificationibus,pręcognita eſt:nam vt
illa õmictam, quę animaduertere chriſtiano homini:quẽ-
admodũ & procurare religioſum eſt:fulminũ iactus:turbi
nesq́ꝫ ventorũ:atqꝫ ea,quę id genus alia contigerunt:ſiqui
dẽ & Mediolani arx,huius belli initio fulmine tacta, haud
exigua ſui parte corruit:& ipſa Galliarum regis inſignia,ca
thenis ferreis Cremonę,in turris,quę in illa vrbe cõſpicua
eſt,ſummitate poſita:vento demolita,ceciderunt;atqꝫ hu-
mi defixa ſunt:nihil manifeſtius id,ꝙ ſinguli,pręliorũ:pu-
gnarum:concurſionum:obſidionũ,euentus docuerunt:in
quibus,diuinũ aliquod auxiliũ & numen,ita pręſens ſem-
per apparuit:vt pene oculis videri poſſet: & ſi vix videtur
humanis cõſiliis atqꝫ ope,tantam molem rerum,ſubſtineri
his temporibus potuiſſe:quod ſi aut,ante Genue expugna
tionẽ,noue in Italiã illę copię,perueniſſent:& nouus,vete
ri,exercitus iunctus eſſet:aut poſt ſaltẽ, Eluetium peditẽ,
ſecum perduxiſſet gallus:res proculdubio in maximũ peri-
culum:& extremũ pene diſcrimen fuiſſet adducta: Hiſpa-
nus enim miles plenus iam populationũ direptionumq́ꝫ,
multis itineribus diſſipatus:haud breui in vnũ ſe cõgloba-
re poterat.Quare,quid aliud inter tot tãtasq́ꝫ difficultates
inter tot ſumma pericula,dicendũ reſtat: in tãtis rerũ tene-
bris:cęcisq́ꝫ nubibus & procellis:ꝙ Deum ipſum opt.max.
Petri nauiculã,armis ſpoliatã:magiſtro excuſſam: turbine
quaſſatã:vndis oppreſſam,ab ĩminenti teterrimę tẽpeſtatis
huius periculo,liberaſſe:tutãq́ꝫ in portũ perduxiſſe? Deus
equidẽ,ipſe Deus,clauũ (vt poetę verbis vtar) nocturnis

rexit in vndis: ipſe ſanctitatis tuę abſentis, vices geſſit: ſalnam illi eccleſiã ſeruauit: & de manu (vt aiunt) in manũ, tradidit. Dei opus ꝑfecto, quis hoc non intelligit? non noſtrum tamen: at ipſius, quem inuenerat: quem elegerat: quẽ parauerat, vicarii ſui meritum. quo factũ eſt: vt multa quidem maxima'q3 admirabilis fama virtutum incredibiliũ beatitudinis tuę polliceri nobis videantur: ſed diuina hęc creatio ſua: nouum hoc atq3 inauditũ, ad pontificatũ iter: hic dei fauor, qui (ſiqua coniectura mentis diuinę ſit) iam omnibus eſt apertus: multo maiora promictant: q̃ quę aut videre animo: aut cernere oculis valeamus. A te enim illa, quam ꝑmicti ſępiſſimũ nobis audiuimus, eccleſię renouatio, expectat; quod vatum ore prędictum nouimus fore, vt vnum aliquando (eorum quibus hoc ipſi tradidere verbis vtar) ouile fiat, atq3 vnus paſtor: nemo eſt qui te hunc paſtorem innui, non ſperet: non ſentiat: non cupiat. Magna igitur, & inuſitata omnium ſpe, veniſti pater ſanctiſſime: & ea, iuſtiſſimis maximis'q3 de cauſis, excitata: habes optimã voluntatẽ, quę nobis iam, ex omnibus partibus, ſe ſe oſtendit: Poteſtatẽ, quãta vnq̃ pauciſſimis aliis ante, cõtigiſſe videtur: Plurimũ rerum vſum atq3 experientiã, maximis pręſtantiſſimis'q3 adminiſtrationibus, cõparatam. Licet autẽ, Cęſaris ante in hiſpaniis: nunc vero Chriſti vices, in terris, geris: ante hiſpani: nũc vero chriſtiani tibi gregis cura cõmiſſa eſt: nihil ꝑfecto, aut certe parũ intererat, inter pontificẽ factum: aut breui futurũ. Iam tum enim talem te, tantũ'q3 pręſtitiſti: qualem, quantũ'q3 Chriſti vicarium eſſe, potiſſimũ oportebat: ſiue pietatem: ſiue religionem: ſeu charitatem: ſeu manſuetudinẽ atq3 humanitatem ſpectes: iuſtitiam'q3 & ęquitatem: vitam denique omnem, pontificaliter actam. Quid de diuini atq3 humani moris peritia? cœleſtium ſcientia literarum? qua cuilibet ſuperiorum

riorum pontificum merito pręferri potes: omni bonarum
rerum diſciplina: ac rectorum ſtudiorū cognitione dicam:
illa vero ne memorabo quidem: quę licet a natura expetē
da ſunt: nulla tamen interdum, a ſapiētibus quoq;, non in
laude, ponuntur: quantum ipſa quoq; corporis moderata
proceritas: maieſtas, etiam, quam vultus: grauitas'q; oris
prę ſe fert: atq; in limine (vt poetę dicunt) ſenectutis ętas
nihil aliud q̄ ſummum pontificem, oſtentare, longe vide-
bantur. Confugit igitur in ſinum ſanctitatis tuę afflictum
& oppreſſum eccleſię imperium: hoc illi in veterem liberta
tem ac dignitatem vindicandum imprimis eſt: circunſpice
omnia eius membra: nullum reperies profecto: quod non
fractū, debilitatum'ue ſit: vrbes ſine legibus: ſine iudiciis:
ſine iure: ſine fide: relictas direptioni & incendiis: tyrannis
paſſim oppreſſas: & inteſtina vndique peſte atq; odio labo
rātes: multis claris viris & luminibus orbatas. Cuncta dein
de, nihilminus concuſſa, quaſſata'q; Italia: ipſe demum to
tus bello ardens terrarum orbis. Diſſident inter ſe & potē-
tiſſimi quidem reges: & ſm Turcharum vota, mutuā ſibi
internitionem parant: quaſi'q; ad debellandos Chriſtianę
hoſtes fidei, vires ſuperent: iis, inter ſemetipſos certando,
abutuntur. Diſſident prouincię: diſſident ciuitates & na-
tiones: nec voluntatibus ſolum diſſident; ſed armis dimi-
cant: digladiantur inter ſe ciues; & quotidie vitam oppu-
gnant: omnes alter alteri infenſi homines inuicem exiſtūt:
illud demum, noſtris q̄ veriſſime dici temporibus, poteſt,
quod eſt apud poetam neſcio quē: Fratrum quoq; gratia
rara eſt: cuncta diuinę religionis: firmiſſimę ſocietatis: ſan
ctiſſimę amicitię, ac neceſſitudinis: vitę ſalutis'q; cōmunis
atq; etiam humanitatis iura, violata. nihil pudori: probi-
tati: rectis ſtudiis: bonis artibus ac virtuti, loci: quarum
tamen rerum iam nunc iacta fundamenta ſunt: ſiue eccle-

ſiaſtici imperii conſtitutionem:ſiue morum:religionum: ceremoniarum reformationem, correctionem'q: ſiue totius Italię quietem, ocium & tranquillitatem: ſeu exterorum regum concordiam: ac pacem intueri volumus: ſanctitate tua, tota iam ad componendam illam cōuerſa. Vbi autem gentium magis, q̃ in ipſis eccleſię vrbibus, hęc iampridem peſtis graſſata eſt?quas partim ſuis ipſarum viribus: partim hoſtilibus vexatas: deletas'q prope & extinctas intueri licet?omitto autem quas inteſtina odia abſumpſere: de proximo bello & vaſtitate loquendum eſt: intuere Parmam atq Placentiam: (de his autem imprimis dicere occurrit: vt & in hoc ipſo calamitatum genere, pręter omnes alias, afflictis prope & extinctis: &, quorum ego iniuſtiſſimis atq acerbiſſimis laboribus, & incōmodis, totum hoc luctuoſum, miſerrimum'q tempus, interfui) multa, maxima'q, grauis & periculoſi belli huius, vulnera cognoſces: quę nūc ſanctitati tuę omnia ſananda ſunt: quibus pręter illam mederi nemo poteſt. Sed ipſę ciuitates & populi ſi vna voce loqui poſſent, hoc dicerent. Quę perpeſſi ſimus Adriane pont. max. vt in ſanctitatis tuę atq apoſtolicę ſedis fide perſiſteremus: ipſa mœnia, tecta ac templa vrbium, fana'q declarāt. Quid aūt res, publice priuatim'q pœnitus vexatas, & afflictas memoremus? quot cedes quot furta? quot adulteria paſſi ſimus? quantas tam a nr̃is q̃ ab hoſtibus illatas calamitates? ſiue itinera quę in hoc anno, per agros atq oppida noſtra, fecerunt: ſiue eorum in miſeras vrbes aduentum, reſpiciamus: vt non magis hoſtium armis, q̃ militum noſtrorum hybernis, populatę, vexatę, ac perditę videri poſſint: cum non multum eorum aduentus ab hoſtili direptione; iter vero a populatione differret: ſiquid enim reliqui nobis hoſtis

fecerat: id ipſe, tanq̃ ex hoſtico raptum, ſecum abſtulit. abacti domo hoſpites: prędę pecudum atq; hominum actę: exciſiones: inflammationes: euerſiones: depopulationes: vaſtationes: noſtris omnibus tectis, templis, aris, focis, oppidis, vicis, agris illatę. Quid dura autem talium militum imperia? Quid ſuperba faſtidia referamus? Quę Germani & Galli: quę Eluetii: Vaſcones: Hiſpani, atq; omnis externus miles, libidinoſe, nefarie, crudeliter, fecerint. omnem enim barbarorum: omnem rebellium: damnatorum: percuſſorum: lapidatorum fori, depopulatorum: decoctorum: obſeſſorum patrię, ſęuitiam: iniurias: atq; libidines, paſſi & experti ſumus. Scimus autem hęc, quanto audita q̃ viſa, leuiora videri poſſint: ſed quanto etiam acerbiora atq; indigniora ſint nouimus: q̃ vt nõ modo augeri, aut ornari oratione: ſed enumerari, aut conſequi valeant: hęc nos non vidimus ſolum: ſed ſenſimus omnes: hęc in fortunas: familiam: liberos: coniuges noſtras: caput: corpus: ipſum denique ſanguinem, atq; animam, peſtis graſſata eſt. Omnia tamen nobis leuiora videntur: Pater ſanctiſſime: quia te patrem: te paſtorem: te pontificem nacti ſumus: hic Beatitudinis aduentus tuę, omnem nubem: omnem caliginem abſterſit: depulit omnes tenebras: omnes moleſtias: omnem dolorem dempſit: obliterauit: & ſi illud dicere q̃ veriſſime poſſumus: Vt te poſt multa tuorum Funera: poſt varios hominum'q; vrbis'q; labores Defeſſi aſpicimus? abſint vero in pręſenti noſtrum omnium gaudio, & publica lętitia, veteres querelę, miſerę quidem & luctuoſę: verum hoc tempore minime neceſſarię: quum bonis potius ominibus: votis ac pręcationibus, hic Sanctitatis tuę aduentus, proſequendus ſit. Itaq; õmictamus lugere: bene enim actum nobiſcum eſt, ſaluis rebus: ſic enim.

eſt dicendum, nobis: vrbibus: templis: delubris: finibus
in priſtinam libertatem noſtram aſſertis: quandoquidem
& ſola ſedes apoſtolica liberis imperat: & nobis, ſummis,
mediis infimis: vniuerſis demum, illius dicto audientes
eſſe: non in libertate ſolum degere: ſed cęteris imperare,
viſum ſemper eſt. Illud igitur ante omnia, oramus, obſe-
cramuſ'q; ſanctitatem tuam: vt diu hincinde, ſępe'q; ia-
ctatos, atq; agitatos: in eccleſię tandem ditione ac fide cō-
ſiſtere, cōfirmari, & quieſcere patiaris: nolis'q; ſinere nos,
cuiquam niſi ſedi apoſtolicę ſeruire: cui & poſſumus &
debemus: ne ab aliis vexati, atq; iniurioſius tractati: ab
aliis contempti & deſpecti videamur. Hęc igitur exiſti-
ma Beatiſſime pater, fideliſſimas atq; optimas ciuitates,
cum Sanctitate tua loqui: hęc cogitare, ſentire, opinari,
expectare: habes firmitudinem: conſtantiam: fidem ac
patientiam, populorum: Pręfectorum vrbium, prouin-
ciarum'q;, ſollicitudinem: induſtriam: virtutem: Prin-
cipum, nobilium, optimatium'q; Italię, amorem: ſen-
ſum: ſtudia: officia atq; partes: ſcriptum in fronte vniuſ-
cuiuſq; eſt: qua in ſanctam ſedem apoſtolicam, fide, ſit
& voluntate: quorum neminem mihi neceſſe eſt nomi-
nare: omnibus noti ſunt: neq; mea, apud Sanctitatem
tuam cōmendatione, egent, aut teſtimonio: Ita quod
longe inter mortales difficillimum eſt: in quo principes,
potiſſimum falli, & decipi ſolent: ſeu fortuna: ſeu ca-
ſus: ſeu potius Deus Sanctitati tuę conſpicuum fecit: cu-
ius abſentia, omnium animos adeo patefecit, nudauit'q;:
vt ea, quibus credat: quos caueat: nullius fronte atq;
vultu, quibus ſimulatio facillime ſubſtinet (inquit Ci-
cero) falli vnq̄ poſſit. Quid habemus igitur nos aliud
Deum immortalem precari? q̄ vt diu Beatitudinem tuam
nobis conſeruet: & valere nunc & ſemper patiatur?

Det illi ętatem quã meretur: & nos tum cõmunis ſalutis atq; apoſtolicę ſedis gratia: tum ſanctitatis tuę cauſa velle & optare debemus: atq; optamus omnes: ſeruet'q; animum quem dedit: vt, quod gaudium ex Sanctitatis tuę aduentu, concepimus: diu, multum'q; gaudere valeamus: & quam audiebamus ante: nunc pręſentem intueamur. Nobis vero, vt noſtra bona intelligamus: dignos'q; nos illius vſu probemus: in qua pax: ocium: concordia: libertas: ſalus: dignitas: ſecuritas & tranquillitas noſtra fundata eſt. FINIS.

¶PAPIÆ CVSSA, APVD IACOB
DE BVRGOFRANCO
M.D.XXIII. X.CAL.
FEBRVARII.

Z 1013 20

99 555837

NO